~~N° 47~~

V. J. D. Dodart D. M. P. et R. S. A. Socio. J. Vernage Salutem

ACADÉMIE ROYALE DE CHIRURGIE C... N...

VI 1736

Hydropisie ascite.

n° 40.

bis in Academiam clarissimam, Vir Eruditissime, meministi, Veni ut Hydropis
ascitis novam observationem referrem, quo laborabat, ab annis duobus nunc defuncta,
virgo suburbana, cui punctionem abdominis instituit D. ponez chirurgus parisiensis, è quo
non sine spectantium stupore liquor lacteus effluxit. lacteum dico, cui verè omnia lactis
indicia concurrere, probantibus viris Academicis. multa tunc sum de vitio interiori
Hydropis vari causâ apud academiam locutus. Elapsis aliquot post diebus epistolam
dedi quam ægrota ad te pertulit ipsa, hanc cum omni teneritudine excepisti. Legisti,
credo, quid de causâ morbi sentirem. aperto cadavere, res ferè ut erat à me suspicata
comparuit. Verum non pigebit tibi, rem si minutiùs persequar, audire à me sectionis
historiam simul ac morbi: quid eum fecerit, quibus auxiliis pertractatus fuerit, quid
in punctione effluxerit, aliaque ad hanc pertinentia.

annos nata tredecim virgo ægrota in febrem tertianam incidit. quatuor mensibus
sic se habuit, donec in quartanam morbus diverterit quinque mensibus, cui quotidiana
deinde successit. Aurigine annos nata quindecim laboravit: plura hysterica quò
menstrua fluerent sunt exhibita, frustrà: sexto decimo anno venter induruit.
Hydropis signa decimo septimo. mensos post sex umbilicus eminuit, enixa grave
pondus sbearium sibi imponi sum attollere. paschali festo anno 1699 hydrops
auctus. punctio primum celebrata secundo julii; tredecim pintas parisienses
liquoris lactei prima suffecerunt vice. inter punctionem grumi caseosi apparuere

ARC 43 n° 43

ACADÉMIE NATIONALE DE MÉDECINE BIBLIOTHÈQUE

et cremori lacteo similes canali cavum obturantes. porrò liquor albus ~~ita~~ sic subsaltus ad ignem efferbuit, quem bibere avidè animalia, quibus fuit exhibitus. decimo quarto julii iterum punctâ, effluxere tredecim pintæ cum chopinâ, seu librâ unâ. tertio, pleriesque tandem, ne sim longus nimis, chirurgi manum passus est. ut viginti duabus vicibus quatuordecim suprà sexcentas libras medicas præbuerit jam dicti humoris; tandemque macie confecta fato obiit.

Nec profuere liquor dictus rabel, nec venâ sectio è pede, nec cathartica secundum indicationes obvias pariè tentata. mirum inter curationem sese obtulit, 1º quod olei pridie abægrotâ degustati odorem liquor effluens præ se tulit in paracenthesi quartâ; deinde tumor discussus operatione, non gradatim augebatur, sed subito intra sex horas abdomen intendebatur.

Secto cadavere quarto martii, obitus die, administrantibus DD. pouly seauté ac Duchesne, chirurgis peritissimus, abdomen flaccidum, terratumque nobis visum est, nec musculi ullam habuere crassitiem; peritonæo intùs glandulis consperso materiâ veluti sebaceâ turgidis. viscera sana primo obtutu, intestina ἔυχροα, lacte veluti nutritum fumen. Hepar, lienque mollitudine conspicua, prolongata, tenuataque. mezenterium pluribus glandibus albis sese efferrebat. intestina in umbellam quasi adducebantur, mesenterio glandulis prædictis ~~in~~ arctum magis composito, undè fimbria ejus magis corrugata in unum illa ~~conglo~~ conglobabat. adjuvantibus membraneis quibusdam filis quæ inter anorum spiras singulatim conjungebant. deinde povluimus intestina, nullumque ex ipsis solutum visum est. mesenterium non item; namque nobis grande foramen ~~illu~~ exhibuit, veluti os patulum fistulæ, quâ parte jejunum venit, quatuor transversis digitis à principio. porem verò humorem eructavit, qui in punctionibus emissus fuerat. ab illo ore cremore lacteo oblinito ostus sinus rectâ penetrabat, specillo indicante ad glandulam

usque in centro mesenterii situm. Haec glandula erat conspicuae magnitudinis, fornicata, deplasii instar excavata, aliisque minoribus cincta. Indè perreximus stilo ad mesenterii superius ligamentum; deinde subimus duas glandulas ad musculi inferioris diaphragmatis tendones sitas: reniformes videbantur, sinistra major. Chirurgo manum praebente, spinae longitudinem investigamus thoracici ductus causâ; ibique gaudentes singuli vidimus glandulosa corpora lineis sex distantia non dissimilia mesenterii glandulis; ascendebant à superiori parte tendonis sinistri musculi inferioris diaphragmatis, deinde vertebris sinistrorsum laterales arrepebant; crassiorem glandulam venae subclaviae sinistrae affixam, propè juncturam claviculae sinistrae cum sterno. Glandula porrò ista lacteam cremori coagulati similem continebat materiam. à dextris nihil. neque verò pancreas glandulis carebat.

Haec sunt, vir illustrissime, quae contrà naturam invenimus. Pulmones enim satis firmi, renes, vesica, semi. uterus appendicesque ejus constitutionis naturalis, cor pariter validum. Caput non apertum est.

Haec pro tuâ sagacitate singulari, vir eruditissime, ad lumen physicum et anatomicum apponas. Nobis tenuioribus sufficiat hanc tibi meliori observationem graphicè descripsisse. Vale./

ACADEMIE NATIONALE DE MEDECINE BIBLIOTHEQUE

Hydropisie.

47 pièces